

PROSOPO  
GRAPHIAE HE  
ROVM ATQVE ILLV  
STRIVM VIRORVM TOTIVS  
Germaniæ,  
PARS TERTIA, EAQVE PRIMARIA.

IN HAC PERSONARVM  
DESCRIPTIONE OMNIUM TAM ARMIS ET AV  
toritate, quam literis & religione totius Germaniæ celebrium viroꝝ Vi  
tæ & res præclare gestæ bona fide referuntur, à Maximiliano primo Cæsa  
re, atq; anno post Christi natiuitatem millesimo quingentesimo, ad Maxi  
milianum eius nominis secundum Cæsarem, ipsumq; annum præ  
sentem millesimum quingentesimum sexagesimum se  
xtum usque.

OPVS PLANE NOVVM ET PRÆ  
STANTISSIMVM, PARTIM EX VARIIS CHRO  
nicis, Annalibus, & Historijs magna diligentia excerptum, partim uerò longa per Germa  
niam peregrinatione, atque principum & doctorum hominum fideli instructione com  
positum: ac uiuis Heroum imaginibus (quantum fieri potuit) passim decoratum: &  
nunc primùm ad patriam illustrandam in lucem editum. ita quod instar perpe  
tue historiæ Germanorum esse uideatur.

Authore HEINRICO PANTALEONE Physico.  
Basiliensi.



BASILEAE, IN OFFICINA HAEREDVM NICOLAI  
Brylingerii, Anno 1566.



HEINRICVS PANTALEON ANNO  
etatis 44.



IN OPVS PRAESENS HEINRICI PANTALEONIS, MEDICI-  
nae Doctoris, domini sui perpetuò colendi, obseruantiae ergò fa-  
ciebat Helias Yppenbergerus Müldorffensis oppidi in  
Bauaria Ecclesiastes.

**G**raecia descripsit magnorum facta uirorum,  
Romanus cecinit fortia gesta ducum.  
Sunt alij plures quorum sua quisq; notauit,  
Exoptans populos usq; uigere suos.  
Graecia iam fileas, fileatq; Oenotria tellus,  
Gallia tu laudes tollere mitte tuas.  
Non impar uobis semper Germania prodit,  
Quin potius cunctos uincere laude solet.  
Virtutes uarias studijs belloq; paratas  
Theutoniae profert Pantaleonis opus.  
Tu ne sis ingrata precor Germania foelix,  
Pro tali grates munere redde Deo.  
Et tibi Pantaleon Germani fausta precentur,  
Artibus ingenuis quos super astra leuas.  
Semper honos nomenq; tuum scriptumq; manebit,  
Hoc meruit uirtus, maximus atq; labor.



Latus enim supra stellatum spiritus orbem  
Incedis, pedibus nubila regna premens.

HEINRICVS LVPVLVS BERNENSIS SCHOLAE MODERATOR.

Anno salu-  
tis 1513.

**H**enricus Bernæ Heluetiorum natus, & à puë-  
ris in literis educatus est. Is cum prima rudi-  
menta domi feliciter percepisset, sese excolendi in-  
genij causa ad exterarum nationes contulit, atq; libera-  
libus artibus, & in primis arti Poeticæ operam na-  
uauit. In ijs quoq; adeò profecit, ut inter doctos ef-  
set notissimus. Itaq; in patriâ reuersus, Bernæ scholæ  
præficitur, & optimos quosq; authores enarrare iu-  
ben. id quod ipse bona fide præstitit, ut non imme-  
ritò ab Osualdo Myconio in Vita Zuuinglij pri-  
mus fuisse dicatur, qui ludum bonarum literarum in  
Heluetijs aperuerit. Cum enim puriores literas ma-  
gna dexteritate explicaret, optima quæq; adolescē-

tum ingenia eius fama percita ad eum Bernam confluxere. Inter eos fuit etiã  
Huldricus Zuuinglius, qui sub hoc præceptore in adyta classycorum scripto-  
rum introductus, & uerborum peperit elegantiam, & rerum cognitionem ac  
iudicium: sed etiam carminis rationem sibi parauit, ut cum alijs à Heinricho e-  
doctus carmina condere, & ab alijs cõdita iudicare felicissimè possent. Extãt  
huius Heinrichi quædam epigrammata, atq; unum uersu Phaleutio Hendeca-  
syllabo super morte Zuuinglij discipuli sui, cum eiusdem Epitaphio elegia-  
co. Cum hoc modo per multos annos iuuentutem instituisset, tandem uene-  
randa canitie insignis apud suos obiit, & honorificè sepultus fuit. In Epist.  
Oecolamp. & Zuuinglij.

PAVLVS RICIVS MEDICVS ISRAELITA.



**P**aulus ex Israelitarum genere in Germania pro-  
gnatus, à parentibus in Hebraicis literis opti-  
mè institutus fuit. Cum is adoleuisset, atq; prophe-  
tarum mysteria intellexisset, Iudaismum reliquit,  
et baptizatus sese ad Christianam religionem con-  
uertit. Erat Paulus rerum naturalium peritissimus.  
Itaq; Maximilianus Cæsar eum dilexit, atq; suum  
Physicum constituit. Scripsit Paulus plurima, atq;  
Iudæorum technas & malitiam proposuit. Vtpote  
sexcenta & tredecim Mosaicæ sanctionis seu Pen-  
tateuchi edicta: cuius prior pars prohibentia, po-  
sterior affirmantia præcepta continet. hisce singu-  
lis breuis interpretatio subiecta. deinde Philoso-

phica, Prophetica, & Thalmudica pro Christiana ueritate tuenda cum iunio-  
ri Hebræorum synagoga disputatiõne, mirabili ingenij acumine in tres tracta-  
tus diuisa. sic ad petitionem Maximiliani farraginem ex Iudæorum Thalmud  
excerpsit, in Cabalistarum seu allegorizantium doctrinam Isagoge fecit. de  
nouem doctrinarum ordinibus, & totius Peripatetici dogmatis nexu com-  
pendium scripsit, quo exponuntur uerba Galeni ab initio Artis paruæ, quid  
doctrina, quid ordo, quæ ordinis necessitas atq; præstantia, quotuplex in do-  
ctrina ordo. sic etiam orationem resolutiuam de triplici ordine doctrinæ. Ac  
conclusiones, quibus Aristotelem triplicem doctrinæ ordinem exercuisse, &  
totius eius dogmatis nexum facile dijudicare poterimus. Præterea Stateram

EE 2 pruden-



Anno salu-  
tis 1521.

**I**ohannes ex honesta familia natus, et in omni genere literarum optimè educatus est. Is cum prima artium & linguarum fundamenta feliciter iecisset, sese hinc inde ad varias Academias cōtulit, & Iurisprudentiæ tanta diligentia incubuit, ut Legū Doctor creatus fuerit. Postea Treuirensis præsul Richardus eum ad se uocauit, & ob uariam eruditionem suam Officialem (quem uocant) constituit. Erat is magna eloquentia præditus, & multarum linguarum callētissimus. Itaq; Carolus Cæsar suū etiam oratorē delegit. Itaq; cum 1521 Vuormatiæ comitia Imperij celebrarentur, atq; Lutherus eò uocatus, ut fidei rationem redderet, Eccius coram Cæsare & frequenti principum senatu cum Luthero locutus, ex eo primò Latinè deinde etiam Germanicè quæsiuit, an hos à se cōscriptos fateatur, & pro suis agnoscat: alterum, an retractare quicquam in ijs, an uerò quæ scripta sint tueri uelit: Cum autem libris nominatis Lutherus deliberandi spaciū peteret, Eccius eum obiurgauit, atq; eum causam, cur sit euocatus, nouisse dixit. sequenti etiam die asperiori uultu ad rem respondere iussit, & tandem effecit, ut Lutherus à Cæsare proscriberetur. His & huiusmodi officijs, quibus Eccius Imperio adfuit, factum, ut apud omnes proceres magnū sibi nomen comparit. Sleid. lib. 3.

IOHANNES FROBENIVS TYPOGRAPHVS BA/  
siliensis.

1522



**I**ohannes à pueris optimis literis incubuit, atq; primis rudimētis in patria perceptis sese ad Basiliensem Academiam contulit. Ibi magna diligentia artibus & linguis operam dedit, & præclarum eruditionis nomē sibi comparauit. Postea quoq;, ut literarum studia commodius iuuaret, typographicis artibus incubuit, atq; Basileæ instructissimam officinam aperuit. In ea optimos quosq; auctores edidit, atq; Hieronymum, Augustinum, & similes patres in lucem emēdatius protulit. A contentiosis uerò libellis, unde quæstum haud modicum alij haberent, ipse suam officinam semper immunem seruauit. Erat præterea Iohannes magna sinceritate præditus, qui etiam si uoluisset nihil simulare aut dissimulare potuisset, eius natura repugnante. tam promptus & alacer ad bene merendū de omnibus, ut indignis etiam ex ipso beneficij quippiam accessisse gauderet. Fide tam incorrupta, ut in neminem magis congruat illud: Dignus qui cum in tenebris mices. atq; ut ipse fraudē nemini machinabat, ita de nullo tale quicquam suspicari poterat. offensas quamuis arduas prius condonabat, quam rogaret is qui offenderat. Itaq; Erasmus huius uiri fama percitus Basileā uenit, atq; uarias suas lucubrations in Frobenij officina edi uoluit. Cum Iohanne quoque summa familiaritate per aliquot annos uixit, atque cum eo uarijs officijs certauit.

Iohannis laws.

Cum hoc modo ad senium peruenisset, paralyti tactus anno 1527 Basileæ obiit, & in cœmiterio S. Petri honestè sepultus fuit, acerbo luctu familiæ totiꝫ ciuitati relicto. Ob huius mortem (ut Erasmus inquit) decebat omnes, qui colunt



Iū bonas literas, pullatos lachrymas & luctum sumere, apio flosculisq; sepulchrum ornare, lymphas aspergere, odores adolere, si quid talibus officijs proficeretur. Certē illud erit gratitudinis, ut omnes defuncto bene precemur, memoriamq; laudibus debitis celebremus. Erat Iohaunes ex Hamelburgo Franconia oppido unā cum Adamo Petri ex Langendorff propinquo loco Basileam uocatus, ab ipso Ioanne de Amerbach & Ioanne Petri typographis Basiliensibus. Hisce cum praeclearam operam nauarent, postea successerunt, & artem illam in ea urbe plurimum adiuuarunt, ut hodie alias longē superet. Reliquit Ioannes filium Hieronymum, atq; generum Nicolaum Episcopium, qui postea patris uestigijs inhærentes, unanimi consensu officinam restaurarunt, atq; pro sua eruditione & integritate optimos quosq; autores ediderunt, ita ut Frobeniana officina apud literarum cultores nihil notius existat. Verū in uida fata proximis annis & hos nobis omniū bonorum luctu abripuere. Verū spes est eorum liberos nec patribus nec auo omni genere literarū & uirtutum minores futuros, cuius etiam quædam de se iam documenta dedere. Erasmus autem, ut se huic Ioanni gratum declararet, Epitaphium ad sepulchrū Latinum & Græcum tale apposuit.

Arida Ioannis tegit hic lapis ossa Frobeni  
 Orbe uiret toto, nescia fama mori.  
 Moribus hanc niueis meruit studijsq; iuuandis,  
 Quæ nunc mœsta iacet orba parente suo.  
 Rettulit, ornauit ueterum monumenta sophorum  
 Arte, manu, curis, ære, fauore, fide.  
 Huic uitam in cœlis date numina iusta perennem  
 Per nos in terris fama perennis erit.

Item:

Ωδ' Ιωάννης καθ' ἑδίδει τυπογράφου φροβόνιου,  
 οὐδ' ἐν ἄλλῳ πλεον ὀφείλει τῆν λογῶν σπευδάσματα.  
 μή νεκρῶν θρῆνεῖτε, ζῆ γὰρ καὶ πνεῖ πνύσων ἀεὶ  
 τῆν τε ψυχῆν, τῆν τε φῆμῆν, τοῖς τε βίβλων λευκάνοις.

Eras. in Epist.

RICHARDVS ARCHIEPISCOPVS TREVERENSIS.



Richardus apud Germanos ex magna familia natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Postea quoq; operam literis dedit, & mediocrem eruditionem sibi comparauit. Itaq; cum Treuerensis praesul fatis concessisset, in eius locum omnium consensu Archiepiscopus & Elector constitutus fuit. Eam dignitatem is magna prudentia administrauit, atq; Maximiliano Caesari gratissimus fuit. Postea cum Maximiliano mortuo Electores Franckoforti conuenissent de nouo Caesare constituendo, statim post Mogūtinum, qui ad Carolum inclinarat, Treuericus sententiam dicere iussus fuit. Eius enim tum inter Electores ob rerum usum maxima erat authoritas. Ibi Richardus Hispanum planè dissuasit, & Franciscum Gallum prudentem & finitimum principem proposuit. quod si is displiceret, superesse in Germania tres potētes familias, Saxoniam, Bauaricam, & Brandenburgicam, ex quibus Caesar meritò eligi oporteret. Verū cum tertio loco Saxo dixisset, atq; Carolo proposito reliquos Electores in suam sententiam traxisset, Treuericum subintulisse ferunt: Germaniæ fatum & iam impendentem agnosco



Anno salu-  
tis 1542.

THEODORVS BIBLIANDER THEOLOGVS TIGVRINVS.



**T**heodorus apud Heluetios natus, ob ingenij felicitatem operam literis dedit, & artium ac linguarum fundamenta optime iecit. Inde ad doctorum hominum gymnasia accessit, atque uarijs linguis perceptis, studio Theologico incubuit. In eo quoque adeo profecit, ut incomparabilis doctrinae, eloquentiae, ac tribus in linguis praestantiae censetur. Huc accedebat pietas, atque uitae innocentia. Itaque Tigurum reuersus sacrarum literarum professor constitutus fuit. eam uocatione is suscepit, atque diu magna laude absoluit. Scripsit Theodorus plurima, atque Tiguri & Basileae anno circiter 1540 edidit. utpote orationem ad enarrationem Esaiæ de sermone Prophetico: purgationem scriptorum Oecolampadij & Zuuinglij: Alcorani textum emendauit collatis exemplaribus Latinis & Arabibus, ac marginibus annotationes apposuit, quibus Mahumetanæ doctrinae absurditas, contradictiones, origines errorum, diuinæque scripturae deprauationes, atque alia id genus iudicantur. Nahum Prophetam ex Hebraeo Latine reddidit: Vaticinium de restitutione Israelis exposuit, & rationem bellandi contra Turcas docuit. Postea quoque Hebraicam Grammaticam composuit, atque opus commentariorum de Ebraica lingua, item de numeris, ponderibus, & mensuris diuinæ scripturae libris 4 comprehendit. Compendium Theologiae ex Augustino collegit, atque Chronologiae demonstrationes publicauit. Quin etiam Christianam & Catholicam doctrinam & Ecclesiam ostendit, atque S. Marci Evangelicam historiam contexit, cum multis alijs huiusmodi. Cum hoc modo Theodorus suis lucubrationibus sibi magnum nomen comparasset, atque tandem ob ingenij excellentiam nouas & haecenus insolitas quaestiones mouere coepisset, suae auctoritati aliquid decessit. postea annos circiter 50 natus 1560 obiit, & terrae mandatus fuit. Con. Gess.

GEORGIUS A REGENSPVRG.

1542



**G**eorgius Ratisbonæ natus & educatus, è teneris annis armorum exercitia amauit & tractauit. Erat enim magna corporis fortitudine insignis. Itaque is Caesaris castra secutus, breui tempore ob uirtutes magnum sibi nomen comparauit. Unde Carolus Caesar in Italia bellum gerens, eum legioni praefecit, atque res magnas expediendas commisit: quas quidem ipse feliciter administrauit. Pari gloria quoque in Vngaria contra Turcam peditum praefectus extitit, atque suos milites fortiter contra hostem animauit. Nec minorem fortitudinem in bello Smalkaldico anno 1546 Cesari exhibuit. Unde is inter Germaniae milites ob res egregie gestas insignis fuit, atque etiam Caesar Georgio huic gratus extitit, qui illum multis corporis & fortunae bonis exornauit. Anon.

FRIDE-



secula cla-  
sio prae-  
sterij bon-  
multis ed-  
tum. in eo  
fuit. Con-  
bergo, ubi  
le Ethnic-  
feliciter p-  
pultus fuit

HIE



bijt. & Ber-  
agnoscitur



560  
Anno salu-  
tis 1566.

HEINRICI PANTALEONIS DE VIRIS  
CHRISTOPHERVS SPANDELIVS PAROCHVS MIL-  
dorffensis.



Christophori  
doctrina.

**C**hristopherus Rosenberga in finibus Baua-  
ria & Bohemia natus est, anno 1537. Hic post  
prima literarum fundamēta in patria percepta sese  
Argentina contulit, atq; in classibus aliquandiu  
liberalibus studijs & linguis operā dedit. Inde sese  
in Italiam recepit, atq; ibidem per trienniū magna  
diligentia Philosophiæ & Mathematico studio in-  
cubuit. Itaq; factum ut Hebrææ, Græcæ, & Latinæ  
linguæ magnam notitiam acquisierit, atq; in præ-  
clarum Philosophum & Mathematicum insignē  
euaferit. Hisce coniungebat & sacrarum literarum  
studium, atq; earum lectionem sibi familiarem red-  
debat. Is cum ex Italia in Germaniā redisset, & Sa-  
lisburgū peruenisset, statim eius eruditione cognita ad parochiam amœnissi-  
mi oppidi inferioris Bauariæ Müldorff uocatur. Eam uocationē is suscipiens,  
magna diligentia suum officium exercet, atq; libris tenaciter inheret. Accedit  
& uitæ pietas, & erga omnes mirabilis humanitas. Itaq; cum ad eum locū 1565  
uenissem, me antea ex scriptis quibusdam editis sibi notū humanissimē exce-  
pit, atq; meum conatū summopere adiuuit. Habebat is secū Heliam Hippen-  
bergiū Symmistam, hominem facundū & Poētā insignem, qui etiā ex tem-  
pore carmen cōposuit, & ut operi meo tertio præmitterem, modestē obtulit.  
Cum hisce duobus uarias quæstiones religionis controuersas amicē contu-  
li, atq; raram eorum eruditionem intellexi. Deprehendi etiam eos à doctrina  
Euangelijs haud esse alienos, atq; summopere efflagitare, ut tandem Christia-  
nus orbis inuicē reconciliaretur. Cum sequenti die discederem, uterq; per al-  
quot milliaria, ut plura cōferremus, comitatus est. in primis uerò Christophe-  
rus, qui meum studiū summopere approbat, tam difficulter à me auelli po-  
tuit, ut inuicem ualedicēdo uterq; nostrū lachrymas effuderit, id quod nus-  
quam antea contigit. quod si etiam diutius is superstes fuerit, procul dubio e-  
ius nomē inter doctos erit celeberrimum. id quod etiam à Vito Vuifenstein  
Abbati S. Viti in Nouiomarckt oppido Bauariæ, uiro optimo, postea in itinere,  
Landshuti cum esset, fusius intellexi, ut qui Christopherum ob uirtutes fra-  
tris loco habeat, & unicē diligit. Anon.

HEINRICVS PANTALEON MEDICVS ET HISTORICVS:  
Basiliensis.

1566



**H**einricus honestis parentibus natus est Bas-  
ileæ idibus Iunii, anno 1522. Cum autem eo tem-  
pore Euangelijs doctrina passim publicaretur, atq;  
pater eius Christianus Pantaleon ardentissimis uo-  
tis eam amplecteretur, literis ipsum imbui à teneris  
statim annis curauit, ita ut Heinrichus postea sapius  
falsus sit, sese nescire quo tēpore & quomodo pri-  
ma literarum fundamēta legerit, cum & loqui & le-  
gere unā ferē cœperit. Cum autem postea 1529 Bas-  
ileæ Ecclesia reformaret, atq; Ioannes Sphyractes  
scholæ S. Petri præficeretur, eodem præceptore u-  
sus Latinæ & Græcæ Grammaticæ rudimenta di-  
didit. Postea cum Sphyractes ad maiora studia in  
Galliam proficisceret, atq; Antonius Vuildius anno 1531 eidē in Petrina scho-  
la substi-



la substituere, Heinricus per sex annos eius auditor existens, tantos progres- Anno salu-  
sus fecit, ut alijs condiscipulis eos authores, quos tum praceptor praeegebat, tis 1566.  
nimiru Vergilium, Quintum Curtium, & Terentium uernacula lingua redde-  
ret, etiam antequam proponendo exponerent. Itaque praceptor felicitatem in  
genij admiratus, eum summopere dilexit, & patri author fuit, ut filiu in bona-  
rum literarum cursu diligenter adiuuaret. Cum hac ratione in studijs pergeret,  
D. Rhodolphum Frey uirum pietate & prudentia conspicuum, atque senatore  
Basiliensem ferè primariu, Mœcenatem acquisiuit. Is enim Heinricum in suas  
ædes recepit, atque ætatis anno 13 aliquandiu secum retinuit, ut nimiru puerum  
Rodolphum eius filiu ad scholas perduceret, & domi eum in primis elemen-  
tis institueret. Erat autem tum Ioannes Bebelius Typographus Rodolphi ui-  
cinus: is adolescētis indole perspecta Rodolpho persuadebat, ut Heinricum  
clientem typographicis negotijs destinaret, atque in Michaelis Isingrinij gene-  
ri sui officina lectore ordinaret. fore enim ut hoc modo (uel suo exemplo) ho-  
nestam uitæ conditionem adipisceretur. interim etiam optima quæque pollici-  
tus. Consensit tū Rodolphus atque adolescentis parens: sperabant enim ipsum  
hac ratione breui uarias artes & disciplinas percepturum. uerum res longè ali-  
ter euenit. Nam pro lectore literarum compositor ordinat, ac uarijs typogra-  
phicis laboribus distrahitur, ita ut nō modò nihil eruditionis inde acquireret,  
uerum etiam rudimentorum prius perceptorum ferè obliuisceretur. Itaque sex  
mēsis elapsis typographiam reliquit, & amicorum consilio 1537 Friburgum  
Brisgaudię profectus est. In eo loco per annum scholam triuialem uisitauit, et  
talem in literis progressum fecit, ut Ioanne Pedio praepatore supremam clas-  
sem ascenderit. Hoc uerò cum Rodolphus eius patronus intellexisset, ipsum  
Basileam reuocauit, & ut locum inter Academiae studiosos haberet, quam  
primū effecit.

Itaque Heinricus Basileam reuersus anno 1538 D. Hieronymo Artolpho Rhe *studia adole-*  
to Academiae Rectori nomen dedit, ac publicas collegij lectiones audire cœ *scientia.*  
pit. Habebat autem in Academia tum praepatorem & Mœcenatem Simonem  
Grynem, qui ipsum ob ingenij promptitudinē mirum in modum diligebat,  
atque ut magis incitaret, pulchris quibusdam libris donabat, cōmilitonibus po-  
tissimū Mathia Flaccio Illyrico & Michaele Barisio usus. Cum hac ratione  
per sesquiannum in artium & linguarum studio pergeret, superuenere literæ  
auunculi Melchioris Kriessstein Basiliensis, uerum tū ciuis & typographi Au-  
gustani, quibus à patre Heinrici sedulo petebat, ut filium ad literas natū ad se  
Augustam transmitteret. sese enim effecturum, ut hinc inde ad Germaniæ A-  
cademias mitteretur, nihilque earum rerum, quæ ad studia requirunt, desidera-  
ret. Parentis ergo & amicorū hortatu Heinricus ætatis 17, salutis uerò 1539 cir-  
ca uindemiam patriam reliquit, & Augustam Vindelicorum peruenit. Tum  
uerò Melchior summopere ei suadere cœpit, ut literarum studio relicto typo-  
graphicis labores susciperet, ea nimirum spe, ut aliquando sibi seni in officio  
succederet. Verum is planè contradicebat, atque eius laboris prius pertæsus, in  
literis pergere statuit: in quo auunculum haud mediocriter offendit. In ea an-  
gustia Heinricus constitutus, à Xisto Betuleo ludimagistro primario con-  
siliū petijt. Is enim ante aliquot annos Basileæ ludimagistrum egerat, atque  
Heinrici parētem familiariter cognouerat. Xistus autem currenti equo calca-  
ria adiecit, & ut in studijs pergeret, adhortatus est. Cum hac ratione per men-  
sem deliberabundus Augustæ hæreret, opportunè D. Casar Delphinus na-  
tione Italus, professione Medicus, homo pius & doctus, ad Xistum peruenit,  
adolecentem aliquem inquirens, qui ipsum Ingolstadium ad Academiam se-  
queretur. Cum enim is ob certam causam eo tempore Italiam reliquisset, atque  
Germanicam linguam ignoraret, doctum aliquem adolescentem petebat, ut



Anno salutis 1566.

Exercitia in  
Gymnasijs.

ipso interprete mentis cōcepta ubiq; explicare posset. Huic itaq; Xistus Pantaleonem commendauit, atq; cum Medicus ille multo auro conspicuus esset, fidem suam pro adolescente obligauit.

Hoc modo cum Henricus (Dei benignitate) talem dominū & præceptorē nactus esset, lætus equo cum eo Ingolstadium profectus est, atq; ibidem Medici huius præstātissimi interpretem egit, quædam Medicorū experimenta didicit, & in omni genere literarum feliciter perrexit. Cum autem per hyemem Ingolstadij mansisset, atq; Cæsar Ferdinandus in media æstate anno 1540 Hagenoa ex comitijs Vuiennam rediret, præceptor & ipse Cæsarem comitati Vuiennam profecti sunt, atq; ibidem per aliquot menses perseuerarunt. Sub autumnū uerò Ingolstadium reuersi. Interea Medicus ille Italiam repetere statuens, Pantaleonem hortabatur, ut sese ad aliam Germaniæ Academiam conferret. nam, peste grassante, Ingolstadiana schola diffluxerat, atq; pars professorum sese in oppidum Rhain receperat. Vt etiam officia Henrici sibi grata declararet, ipsum aliqua pecunia donauit, quò sese per annū in celebri aliquo gymnasio honestè alere posset. Valedictio itaq; præceptore Medico Henricus per Norinbergam & Franconiam Heydelbergam peruenit, atq; D. Lucæ Schroteysen Rubeaquensis patrocini in collegium Dionysianorum (quod tum uocabant) receptus fuit. Tum uerò occasione oblata diligentem operam artibus & Poëtice nauauit, atq; sequenti 1541 anno, ætatis uerò 19, primā in artibus lauream publicè accepit, promotore D. Ioanne Geyselbachio. Cum hac ratione per biennium Heidelbergæ maneret, atq; magna sedulitate Philosophiæ incumbens, Magistrorum quoq; gradum expectaret, Conradus Lycosthenes Rubeaquensis, eius in literis comilito, ob certa quædam negotia Basileam profectus est. In eo loco cum mētio Pantaleonis fieret, Conradus eius studia & progressus ordine exposuit, atq; amore quodam singulari (quo eum prosequeretur) ductus, ipsum Magistratui & in primis D. Scholarchis & Deputatis (quos uocant) commendauit. Eodem etiam tempore Conradus suam operam Basiliensi Academiæ condixit. Hac ratione factum, ut Henricus D. Deputatorum literis reuocatus (quantumuis Heidelbergæ atq; etiam Vuormatiæ honestæ conditiones oblatae essent) unā cum Lycosthene Heydelbergam reuerso, postea Basileam redierit, cum per triennium apud exterarum Academijs uersatus esset. id quod factū est anno ætatis uicesimo, salutis uerò 1542, mēse Iulio.

Officia primò  
administrata.

In patriam reuersus D. Deputatorum iussu in collegio apud Mr. Huldricū Hugobaldum Mutium Dialectices professorem uixit, atq; D. Hieronymum Gemusæum in Physicis, & Vitum Ardyæum in Mathematicis præceptores habuit. Erant tum eius in studijs cōmilitones Thomas Eraustus, Ioannes Acronius Phrysius, & Huldricus Coccus. Vt autem & ipse priora sua studia excoleret, atque ingenij uires declararet, ijs diebus, quibus reliqui professores à lectionibus uacabant (Iouis nimirum & Sabathinis) Persij Satyras publicè explicauit, atq; auditoribus gratus extitit. Hinc factum ut 25 April. anno 1544 artium Magister solenniter crearetur, ætatis suæ 22. mox etiam 22 Iulij in Facultatis artium consilium receptus fuit. Illo autem anno proceres Academiæ Basiliensis diligenter pro certis classibus constituendis laborarunt, ut iuuetus frenis quibusdam retētis intra limites lectionum retineretur, & per gradus paulatim ad altiora studia ascenderet neq; illotis manibus ea attrectaret. Ergo ijs optimè cōstitutis, Henricus inter primos classiuū professores die 17 Decemb. assumptus, atq; ei Iustini Historici, & Grāmatices explicatio ordinariè in collegio commendata fuit. Cum hac ratione publicam functionem suscepisset, patrem quoq; familiās agere exoptauit, atq; ex honesta Kæsinorum familia, Cleophe uenustissima uirgine uxore ducta, 22 Ianuarij sequētis anni nuptias celebra-



celebrauit, ætatis suæ 23. ex qua postea pulchra prole pater factus est. Ab eo Anno salu-  
 tempore clarissimum uirum D. Theodorum Brand Reipub. Basiliensis Con-  
 sulem, affinem & singularem semper patronum sensit. Erat enim Cleophe pu-  
 ella uxoris eius Christianæ Kœsin ex fratre Ioanne neptis, quæ post patris sui  
 immaturam mortem, ipsum consulem tutorem habuerat. Inde quoque de alti-  
 oribus studijs cogitare cœpit, atque Medicinæ & Theologiæ studium coniun-  
 xit. in eo uerò D. Albano Thorino & Sebastiano Sinckelero, in hoc uerò D.  
 Vuolffgāgo Vuissenburgio, Martino Borrhao, & Sebastiano Monstero præ-  
 ceptoribus usus. Cum autem postea amicorum consilio potissimum Theolo-  
 gicis incumberet, ac foeliciter pergeret, 25 Iunii eodem anno in Ecclesia S. Pe-  
 tri Diaconus constituitur: quam functionem etiam per annos septem conti-  
 nuauit. Quoniam uerò eius officij negotia pauciora essent, quàm quis se totū  
 ijs traderet, nihilominus subinde lectionem aliquam in Academia procerum  
 iussu publicè explicauit, atque hoc modo Grammatices, Dialectices, & Rhetor-  
 ices præcepta per uicissitudines iuuentuti tradidit. Hinc factum ut 4 Maij an-  
 no 1547, ætatis uerò 25 artium Decanus electus fuerit. Cum autem ordo ille ua-  
 rias leges haberet, hisce temporibus & ordinatis nuper classibus minus cōue-  
 nientes, professores artium eas ex antiquis renouarunt. atque ad hæc tempora  
 distribuerunt. Eas Pantaleon primus Decanorū publicè prælegit, & in usum  
 scholæ produxit. Sub eius etiam Decanatu demum post religionem mutatā  
 denarius consiliariorum numerus impletus, cum uiri clarissimi & artium Ma-  
 gistri D. Cælius secundus Curio, Ioannes Acronius Phrysius, & Thomas Gry-  
 næus ad eum ordinem reciperentur.

Cum autem natura ad labores natus esset non tantum se in schola & Eccle-  
 sia exercebat, uerum etiam omnes Ecclesiæ patres & scriptores diligenter e-  
 uoluit, atque D. Frobenianis obtemperans, in D. Hieronymi, Basilij, Hilarij, &  
 aliorum opera indices copiosos perfecit. Inde etiam occasionē habuit, ut bo-  
 norum aliquot uirorum Erasmi, Oecolampadij, Grynei, Carolstadij, & aliorū,  
 uita apud Basilienses functorum, Epicedia cōscripserit, atque Comœdiam phi-  
 largiri de Zachæo publicanorum principe nouam composuerit, & 1546 euul-  
 garit. Pari ratione Chronographiam Ecclesiæ magna diligentia collegit, quæ  
 primò anno 1550, & postea multoties diuersa forma ædita, & ab omnibus do-  
 ctis magno applausu recepta fuit. Aliquot præterea libellos D. Vergerij Lati-  
 nè editos eius iussu in uernaculā conuertit & Germanis legendos proposuit.  
 Ut etiam sese rectius exerceret, ijs horis, quibus reliqui uacabant, in collegio  
 per biennium (præceptorum uoluntate) Theologica professus est, utpote par-  
 tem Exodi, Ionam prophetam, Marcum Euangelistam, & Pauli ad Titum E-  
 pistolam, quos etiam suis commentarijs (uerum nondum editis) explicauit.  
 Habuit insuper plures disputationes Theologicas, quibus ea, quæ prælegerat,  
 comprobabat. Itaque factum ut 2 die Iunii, anno 1552 in S. Theologiæ Licentia-  
 tum Basileæ magna spectantium frequentia publicè promoueretur. Quum  
 hoc modo in sacro studio foeliciter uersaretur, atque multis tamen bonis & do-  
 ctis uiris ad conciones publicas (ob linguæ celeritatem & uocis præcipitan-  
 tiam) minus idoneus uisus esset, animum quoque ad intermissum aliquandiu  
 Medicinæ studium conuertit, atque Theologiæ coniunxit, ut & Ecclesiæ inser-  
 uire, atque proximo uarijs modis prodesse posset. propterea per integrum an-  
 num domi suæ priuatos discipulos eosque adultos in re Medica instituit, atque  
 hac ratione huius scientiæ præcepta sibi assidue in memoriam reuocauit.

Hoc modo cum sese ad Medicorum studia præparasset, atque etiam ex intē-  
 pestiuis studijs colicos & Nephreticos dolores contraxisset, bonorum amico  
 consilio mense Iulio anno 1553 in Galliam per Lugdunum profectus, sese  
 Valentiam contulit, atque ibidem 21 Septemb. magna solennitate Medicinæ  
 Doctor

Anno salu-  
ais 1566.Theologia &  
Medicinæ stu-  
dium coniun-  
ctum.Philosophicæ  
professio as-  
sumpta.



Anno salu-  
tis 1566.

Doctor promotus fuit, ætatis suæ 31. Postea uerò ulterius progressus, per Aue-  
nionem Monspessulum, & inde ad mare Mediterraneum & Pyreneos mōtes  
peruenit, ubi ignotas Germaniæ stirpes, uaria animalia, & multa obseruatu di-  
gnissima cōtemplatus est. Inde uerò in Nouembri (Deo duce) magna amico-  
rum gratulatione in patriam reuersus est. Tum autem M. Erhardo Batmanno  
in Diaconatu succedente Medicinā Basileæ & in finitimis locis exercere, atq;  
etiam Academiæ functionibus diligentiorē operam nauare cœpit. Cum hoc  
modo per tres annos pergeret, tandem 7 die Ianuarij anno 1556 iterum à scho-  
læ proceribus Dialectices professor, & mox 1 Maij denuò à consiliarijs Facul-  
tatis artium Decanus constituitur. Paulo pōst etiam lectio Physices suo pro-  
fessore D. Marco Hoppero (qui iuris professionem nactus erat) destituta fuit.  
Eam proceres Academiæ ( licet multi alij clarissimi Medici competitores es-  
sent) 19 April. 1557 Pantaleoni contulerunt. quam etiam collationem Senatus  
urbis Basiliensis statim approbauit. Eam prouinciā ad hodiernū usq; diem  
in annum decimum, qua potest diligentia, administrat, atq; Aristotelis de re-  
bus naturalibus libros indies in Academiā explicat. Quoniam uerò eodem  
tempore plures noui Medici Basileæ essent, Magistratus uolūtate singulis pu-  
blica in re Medica disputatio iniuncta, eo nimirum cōsilio, ut probati tantum  
ad Medicinam faciendam admitterentur. Itaq; & Pantaleon eodem anno 17  
Nouemb. eam functionem subiit, & postea 19 Decemb. inter Medicos hone-  
stum locum sortitus fuit. Quin etiam sequenti anno 24 Maij Medicorum De-  
canus post D. Osualdum Berum pium & doctum uirū (qui per 20 circiter an-  
nos in ea Medicorum paucitate ob senij prerogatiuam id officij administra-  
rat) electus est. Itaq; Pantaleon ueteres huius facultatis leges in usum reuoca-  
uit, Matriculam nouam (quam uocāt) eius ordinis collegit, atq; ararium cum  
libro rationū confecit, & monumenta facultatis in arca ad id parata conserua-  
uit, ut posthac singulis annis electo nouo Decano traderentur.

Scripta Panta-  
leonis.

Cum hoc modo uaria fortuna Pantaleon uteretur, atq; etiam hinc inde ad  
honestas condiciones liberali stipendio oblato euocaretur, in patria tamē per-  
seuerare maluit, atq; præter Theologorū & Medicorum scripta, uarias quoq;  
Historias euoluit, ac suis lucubrationibus Germaniam patriam exornare con-  
tendit. Itaq; petentibus amicis Sleidani Historiam de statu religionis & reipu-  
blicæ, Carolo 5 Imperatore, primus in uernaculā transtulit, ac 1556 publicauit.  
Eandem etiam postea tribus libris Latinè atq; Germanicè continuauit. Pari-  
ratione Hieronymi Cardani opus Physicum, quod de rerum uarietate inscri-  
bitur, ex Latino in Germanicam linguam conuertit, atq; etiam ex eiusdē Car-  
dani opere, de rerum subtilitate, optima quæq; per compendium complexus  
priori operi adiecit. Postea opus illud insigne historicum Pauli Iouij transfer-  
re cœpit, atq; 1559 tribus tomis edidit. Quin etiam sequenti tempore alios Iouij  
libellos, ut de Imperatoribus Turcicis & Moscouitis, transtulit. Historiam inde  
Martini Chromeri Polonicam uertit, atq; ea ædita, Moscouitarū quoq; acta,  
Sigismundo Lybero barone authore, Germanicè exhibuit. Cum etiam eius  
lucubrationes cunctis innotescerent, fuerunt præclari quidam apud exteros  
uiri, qui Ioannis Naucleri magnam Historiam à condito mundo ad patrū me-  
moriā continuatam suis sumptibus ei uertendam obtulerunt. Itaq; & eum  
laborem suscepit, atq; iam aliquo usq; progressus, suo tempore & loco publi-  
cabit. Nec tantum Pantaleon aliorum lucubrationes magno successu & labo-  
rum tolerantia uertit, uerum etiam plurimas sua industria confecit. Nam præ-  
ter Chronographiam & Poëtica quedam (quorum prius mentio facta) etiam  
amicorum hortatu Martyrum Galliæ, Germaniæ, & Italiæ acta, magno uolu-  
mine conscripsit, & post pacem in Gallia confectam anno 1563 edidit. Cum e-  
nim Iohannes Foxus Anglus ante quatuor annos Angliæ Martyres annota-  
set, de



set, dignum multis uidebatur, ut & secunda pars, quæ nostras regiones cõple-  
teretur, diligenter ab aliquo assignaretur.

Postea quoq; præclarum illud & multis exoptatũ opus de uiris illustribus  
Germaniæ Latine & Germanicè edendum meditari cœpit. Propterea omnes  
historias sibi inferuientes perlegit, & notatu digna obseruauit. Quin etiam ad  
aliquot principes ( quibus iam ob uarias lucubrationes dedicatas aut æditas  
gratus erat) nec non ad uiros doctos, quos familiariter noscebat, literas dedit,  
atq; modestè petijt, quoniam opus illud immensi laboris futurum esset, ut ui-  
tas uirorum, qui uel armis uel literis apud ipsos celebres fuissent, per occasio-  
nem Basileam transmitterent. id quod plurimi ob patriæ amorè præstiterunt.  
Interea sæua pestis Basileæ ingruerat. propterea ipse Medicorum uarios tra-  
ctatus de peste euoluens, libellum ad hæc tempora accommodatũ 1564. de pe-  
ste conscripsit & edidit, atq; cum sua familia, Dei misericordia, illæsus perman-  
sit. Inde ad institutum laborè redijt, atq; priores duos Tomos de uiris illustri-  
bus absoluit & edidit. Cum autem posteriorum Germanorum acta nondũ in  
litteras relata, atq; tantũ cuiq; nationi sui ciues noti essent, ipse (ut tertiã par-  
tem commodius perficeret) sub initium 1565 per Germaniam peregrinationẽ  
suscepit, atq; publico Basiliensi equite comitatus, per Heluetiam, Sueuiã, Ba-  
uariam, Pannoniam superiorem, Noricum, Franconiam, Hafsiam, Palatina-  
tum, & Rhenensem tractum profectus, & ubiq; grato animo à principibus et  
locorum proceribus susceptus, tandem post aliquot menses multarum rerum  
instructione incolumis Basileã redijt, & quæ à fide dignis passim hominibus  
perceperat, in scripta retulit, atq; totum opus anno 1566 absolutũ publicauit.  
Præter labores uerò hæcenus breuiter enumeratos multos quoq; authores à  
mendis repurgauit, atq; uarijs præfationibus aut Epigrammatis præmissis e-  
uulgauit. Erat enim Henricus ad literas natus, & laboris patientissimus, ut  
qui hæcenus per annos plus minus duodecem singulis diebus tempore ma-  
tutino per horas quinque continuas uertendo aut aliquid noui colligendo scri-  
pserit, atq; aliquot folia sceliciter absoluerit. præterea natura hilaris, omnibus  
affabilis, atq; aliorum laborum singularis estimator, ut qui prodesse omnibus,  
nocere nulli semper uoluerit. Vnde etiã principibus & proceribus apud Ger-  
manos gratus fuit, qui semper dedicatas ab eo lucubrationes summa liberali-  
tate susceperunt, & Pantaleonem ut gnauiter pergeret, adhortati sunt. Hæc  
ratione is etiamnum ætatis suæ 44. Basileæ pergit, atq; docendo & scri-  
bendo nihil intermittit, quò Dei gloriam patefaciat, & patriam  
Germaniam celebret. Id quod procul dubio posteri-  
tas grato animo intelliget, & prædicabit, Con.  
Lycost. Anon.

Anno salutis  
1566.

Opus præsens  
de uiris illustri-  
bus.

FINIS TOMI TERTII.